

et cum intentione conciliandi animum : v. g. patroni ad dandam præsentationem. Nam *gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione seu pacto gratis oblatum (c. 30. h. t.)*, cum hoc modo non ematur spirituale, sed provocetur animus, v. g. patroni, ut gratis det spirituale, sicut num. præced. dictum. Sed licet doctrina ista speculative sit vera, in praxi tamen est valde periculosa, præsertim si munera donentur in notabili quantitate ante collationem beneficii; siquidem talia munera potenter inclinant et excæcant animos, et vix unquam dantur sine simonia, saltè mentali: imò in foro externo præsumitur simonia ex pacto, ut notat Fagnan. *in cap. 1. hoc tit. num. 27.*, Reiff. et alii. Similiter ista promissio gratitudinis: *procura mihi Canonatum, et ero tibi gratus*, licet de se et theoreticè non sit simoniaca, tamen si ex circumstantiis colligatur obligatio justitiæ, et non purè antidotalis et gratitudinis indeterminatè, est omninò simoniaca; quia promittens, reipsà obligat se ad aliquod temporale præstandum.—Excipe à data responsione illa dona, quæ etiam gratis oblata jus prohibet accipere; ut in ordinationibus, examinibus, in concursu pro parochia, expeditionibus litterarum, Indulgentiarum etc.

6.º Conferre spirituale ex obligatione purè antidotali seu gratitudinis, non est simonia: ut si prælatus suscipiat ad religionem filium, quia hoc modo vult exhibere gratitudinem pro beneficiis à patre illius acceptis: vel si Episcopus conferat alicui beneficium, quia vult ei esse gratus pro obsequiis vel gratiis temporalibus ab eo acceptis: ità com. Nam gratitudo, cum non habeat debitum et opus determinatum, exhiberi potest per quodcumque opus, etiam nobilius re ipsa accepta; siquidem gratitudo non respicit æqualitatem cum re accepta, sed effectum gratificantis, qui superare potest gratias et obsequia ab altero præstita, secluso omni pacto et pretio (S. D. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. et q. 106. a. 1. ad 1.); ergò etiam gratitudo exhiberi potest per exhibitionem rei spiritualis: ut si prælatus pro benefactore monasterii jubeat à religiosis preces fundi, missas celebrari etc., et similiter si Episcopus, ut se gratum exhibeat, seclusa obligatione justitiæ, conferat alicui beneficium, nullam simoniam committit.

Dices: I. Gratia vel obsequia præstita Episcopo sunt *munus à manu et obsequio*, quod constituit pretium simoniacum.—II. Compensatio gratuita inducit simoniam, ut dictum 22.: alioquin facilè simonia excusari posset, dicendo, quòd, v. g. Episcopus det beneficium, ut offerenti pecuniam se gratum exhibeat.

R. *Ad I. D. A.* Si obsequia ista præstentur ex pacto expresso aut tacito, seu titulo justitiæ, ut pro eis detur spirituale, v. g. beneficium, *C. A.* Si præstentur gratis, vel pro alia mercede conventa, ità ut nulla sit obligatio justitiæ pro eis dandi beneficium, *N. A.* Hic autem supponitur, quòd nulla sit obligatio justitiæ ad compensanda hæc obsequia.—*Ad II.* Compensatio gratuita deducta in pactum, ut spirituale detur pro temporali, omninò inducit simoniam, ut ibi dictum; quia tali casu non est actus gratitudinis, nisi nominatenus; reipsà

autem est actus justitiæ: at in nostro casu nullum supponitur adesse pactum, nullaque obligatio justitiæ; ergò sicut Episcopus pro arbitrio suo posset fidelia obsequia remunerari per officium temporale, ità etiam potest per beneficium Ecclesiasticum, vel alterius rei spiritualis exhibitionem. Ex datis resolutionibus innumeri solvuntur casus particulares, in quibus facilè deprehendes simoniam, si modo attendas, tunc eam committi dum temporale datur pro spirituali, ex pacto seu contractu oneroso, ità ut dans velit ex justitia alterum obligare ad dandum spirituale pro temporali, vel econtrà; secluso autem tali pacto et obligatione, dare spirituale pro temporali non est simonia.

§. II.

De merce Simonia.

24. *Nota I.* Materiam adæquatam simoniae esse *rem spiritualem* per modum *mercis* venalis, et *rem temporalem* per modum *pretii* latè sumpti pro omni eo, quod est pecunia æstimabile, licet quandoque res spiritualis habeat rationem pretii, et res temporalis rationem mercis, prout subjecta materia patitur: ut si per collationem beneficii emas ab altero preces vel operas temporales.

Nota II. Nomine *rei spiritualis* hic non intelligi creaturas naturales entitativè spirituales, ut sunt Angeli, animæ rationales, actus naturales intellectus et voluntatis; sed res aliquo modo supernaturales à Deo vel Ecclesia ordinatas ad cultum divinum et salutem animarum. Res spirituales hoc secundo sensu acceptæ sunt in quadruplici genere; nam 1.º aliqua sunt *spirituales formaliter*, ut habitus supernaturales gratiæ, fidei, spei etc.—2.º aliqua sunt *spirituales causaliter*, ut sacramenta, sacramentalia, officia ecclesiastica ad animarum salutem ordinata.—3.º aliqua sunt *spirituales effectivè* per modum operationis; ut baptizare, absolvere à censuris et peccatis, judicare in causis spiritualibus etc.—4.º aliqua sunt *spirituales connexivè*, quæ licet in se sint temporales, tamen propter connexionem cum spirituali evadunt spirituales et ad finem supernaturalem ordinantur. Triplici autem modo conjungi possunt spiritualibus; *antecedenter*, quia ordinem dicunt ad spirituale, sicut calices, vestes sacræ, missalia, juspatronatus etc.; *concomitanter*, ut labor corporeus in concionando, sacrificando, sepeliendo etc.; *consequenter*, quatenus ad jus spirituale sequitur aliquid temporale, tanquam accessorium; quo modo jus præbendæ et decimarum annectitur officio spirituali. Jam certum est, quòd omnes res istæ suo modo possint esse materia simoniae, si dentur pro aliquo temporali. Sed pro claritate specialiter de singulis hic aliquid dicendum erit.

25. Q. I. *An res formaliter vel causaliter spirituales sint materia simoniae?*

R. 1.^o Res formaliter spirituales sunt materia simoniæ, sive emanantur in abstracto, sicut Simon magus voluit emere Spiritum Sanctum, seu gratias gratis datas, sive in concreto: ut si servus carius venderetur, quia christianus, sacerdos vel thaumaturgus est; nam gravis irreverentia infertur, dum res istæ tam sanctæ et excelsæ pretio temporali æstimantur,

2.^o Res causaliter spirituales, ut sacramenta, sacramentalia, sive transeuntia, ut variæ benedictiones et exorcismi Ecclesiæ, sive permanentia, ut res consecratæ, et benedictæ: item officia Ecclesiastica, ut officium Episcopi, parochi, abbatis etc. sunt materia simoniæ, saltè prout accipiuntur cum suo spirituali: ità constat ferè ex tota causa l. q. 1. c. 9. h. t. et alibi passim. Nam hæc gratis dari Christus voluit Matt. 10. v. 8. *gratis*, inquit, *accepistis, gratis date*.—Excipe materias remotas sacramentorum et sacramentalium, quæ præviè emi possunt, ut panis et vinum pro Eucharistia, oleum, balsamum, calices, vestes et alia utensilia cultui divino applicanda. An verò, dum connexivè sunt spiritualia, vendi possint, infra dicetur. Nunc:

26. Q. II. *An res spirituales effectivè per modum actionis sint materia simoniæ?*

R. 1.^o Affirmativè; nam actiones istæ ordinantur ad salutem animarum, adeòque excedunt omne pretium temporale. Hujusmodi sunt:—I. Actus à gratiis gratis datis proficiscentes, ut prophetia, patratió miraculorum etc.—II. Actus ordinum clericalium, ut consecrare, ordinare, sacrificare, baptizare etc. (*cap. 1. 8. 9. etc. hoc tit.*)—III. Actus officii seu jurisdictionis spiritualis, ut conferre beneficia ecclesiastica, approbare ad curam animarum, concedere jurisdictionem pro oro interno, absolvere à censuris, dispensare in sac. Canonibus, votis, juramentis, impedimentis matrimoniorum et ordinum, admittere ad novitiatum et professionem religiosam, ceterique actus jurisdictionis ecclesiasticæ sive voluntariæ, sive contentiosæ in judiciis ecclesiasticis, sive fiant super causis purè spiritualibus, sive profanis seu civilibus clericorum (*Can. 10. vendentes l. q. 3.*) Si verò prælatus habeat in suo territorio jurisdictionem temporalem, pro actu illius accipiens pecuniam, illicitò quidem, sordidè et plerùmque injustè agit; non tamen simoniam committit, cum actus iste non procedat ex potestate spirituali.

2.^o Actus ordinum minorum etiam ut à laicis exercentur, sunt materia simoniæ: ità Laym., Scamb. et alii. Nam actus isti licèt in laicis non procedant ex potestate spirituali, tamen ex fine suo sunt spirituales; ergò gratis exerceri debent: pretium verò petendum est ex alio titulo, ut sustentationis, laboris extrinseci et obligationis ad nutum alterius.

3.^o Pro collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ: item pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, Episcopi et eorum ministri, præcedente pacto, aut exactione, nihil recipere possunt citra vitium simoniæ (*cap. 1. hoc tit.*), imò nec spontè oblatum: ità jure ne-

vo Trident. *sess. 21. cap. 1. de reform.*, et Bened. XIII. Constit. incip. *Commissi* 1725. pridie non. Maj., ubi severè prohibet, ne illi, qui abbatès benedicunt, ante vel post benedictionem munera etiam modica recipiant. Hoc jure Trid. correctum est jus antiquum *Can. 4. sicut l. q. 2. et cap. 18. h. t.*, ubi post ordinationem vel confirmationem Episcoporum permittitur aliquid modicum, spontè oblatum accipi: item in *Trid. cit.* excipiuntur notarii in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, ut decimam aurei partem accipere possint pro dimissoriis aut testimonialibus, dummodò nullum salarium sit eis constitutum, nec Episcopus inde aliquid accipiat directè vel indirectè.

4.^o Pro dispensationibus in legibus et impedimentis Canonicis nihil accipi potest: ità Trid. *sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. et sess. 25. cap. 18. de reform.* Nam dispensationes istæ ordinantur ad bonum spirituale fidelium, et procedunt à potestate spirituali; ergò pretio non sunt solubiles.

Obj. contra istam responsionem. 2. I. In curia Apostolica statuta sunt certæ taxæ pro confirmatione Episcoporum, pro dispensationibus et aliis expeditionibus spiritualibus.—II. In curiis episcopalibus, non tantùm spontè oblata recipiuntur, sed etiam taxæ præscriptæ sunt, et novæ inducuntur pro investituris, dispensationibus et judiciis, aliisque negotiis spiritualibus; et tamen taxas istas quis simoniæ condemnet? Videntur ergò jura Can. non esse ubique recepta, sicut Lessius ait Constit. *Trid. sess. 21. cap. 1. de reform.* non ubique praxi receptam esse.—III. Cancellariæ sæcularium patronorum taxas determinatas habent; et vix expediunt litteras præsentationis, nisi priùs taxa solvatur, vel præsentatus ad eam solvendam se obliget; et tamen patronos istos, eorumque officiales nemo condemnat simoniæ.

R. *Ad 1.* In Curia Apostolica actus spirituales gratis expediuntur: taxæ verò cohonestantur ex pluribus titulis; ut *ex titulo commutationis*, dum votum commutatur in opus pium et eleemosynam: *ex titulo coercionis* per modum pœnitentiæ, dum ob præcedens delictum petitur dispensatio: *ex titulo cohibitionis* à petitione dispensationum, ut dispensationes sint onerosæ: *ex titulo sustentationis* pro officialibus Papæ, qui plurimi sunt et pro tota Ecclesia laborant etc.—*Ad II.* Trident. *loc. cit. jeusmodi taxas, ac statuta et consuetudines etiam immemorabiles quorumcumque locorum, quæ potiùs abusus et corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassat et interdicat.* Et juxtà hoc Decretum judicat sac. Congr., ut fusiùs ostendit Fagn. *cap. 1. In ordinando, h. t.* Quòd verò Decretum Trident. dicatur à Lessio et aliis non esse ubique usu receptum, id quidem experientia probat: an verò adsit titulus et causa sufficiens cohonestans ejusmodi taxas, præsertim excessivas, juri scripto tam antiquo, quàm novo adversantes, est questio facti, utique pro foro conscientie decidenda ab his, quorum interest. Hæc consuetudo taxas exigendi solet justificari ex præsumptione; quia præsumitur incepisse ex legitima causa et titulo, v. g. sustentatione

tionis ministrorum Curiae, vel ex privilegio Apostolico: quia verò præsumptio ista est facti, quo deficiente, sicut lex, ita et consuetudo deficit; ne alioquin ad illicitum obliget, ideo durum videtur ex præsumptione ista conscientiam justificare. Hinc, ut ait P. Laym. *lib. 4. trac. 10. cap. ult. §. 4. num. 40.*, *consuetum valdè esset tales consuetudines speciem mali præferentes tollere, siquidem Episcopi, qui sufficientes redditus habent (secus in pauperibus), ex lege justitiæ obligati sunt ad stipendia justa officialibus suis solvenda, ne pro spiritualibus functionibus aliquid loco stipendii exigere cogantur ab his, quibus administrant:* qui sensus est etiam ceteris Doctoribus, qui hanc materiam periculosam mente pacata considerant. Hoc certum est ex suprâ dictis, quòd si Ordinarius vel ejus officiales nolint ordinationes celebrare, stante justa causa, dispensare, litteras testimoniales dare, in beneficiis instituere, nisi pecunia numeretur, omninò committi simoniam; quia actus isti spirituales principaliter exercentur propter pecuniam (S. D. 2. 2. q. 100. art. 2. in corpor. et ad 3.) Item certum est plerùmque injustitiam committi, si taxæ indiscriminatim et æqualiter petantur à divitibus et pauperibus clericis, religiosis, aliisque fidelibus: cum enim taxæ istæ non dentur pro actu spiritualis jurisdictionis, sed *titulo sustentationis*, ratio habenda est facultatum, ut proportionem servata, concurratur ad hanc sustentationem.—*Ad III.* Cancellariæ sæculares à simonia excusari solent *titulo privilegii Apostolici*, quo Papa principibus, aliisque patronis indulgere solet, ut certos redditus vel pensiones in mutatione Episcoporum et aliorum prælatorum percipere possint: *titulo reservationis*, dum patronus transferens bona sua in Ecclesiam, reservavit sibi certam pensionem à quolibet novo beneficiato præstandam; vel si bona data sint Ecclesie in feudum cum conditione, ut novus beneficiatus in recognitionem domini directi præstet certam pensionem per modum *relevis*. Ceteri tituli plerùmque non excusant ab injustitia et simonia: non *titulus sustentationis* officialium, qui à domino suo competens salarium non habent, sed hoc resarciri debet ex consuetis taxis pro litteris præsentationum ad beneficia datis; nam beneficiati non tenentur concurrere ad sustentandos officiales patroni; imò aperta est simonia dum præsentatio datur, ut clericus præsentatus aliquid contribuat pro sustentandis officialibus cancellariæ patroni: non *titulus gratitudinis*, quia hæc alio modo exerceri potest: si verò sit determinata ad certam taxam et pecuniam, non liberat à simonia, ut suprâ dictum *num. 22:* non *titulus stipendii et mercedis*, quia ex hoc titulo, licet aliquid moderatum et labori scriptionis adæquatum accipi posset, tamen excessiva taxa peti non potest: imò patronus vi juris patronatus, sicut obligatur gratis præsentare, ita quoque obligatur gratis dare litteras præsentationis. Alium titulum non reperio, nisi *gratiæ*, ut quod spontè sine taxatione offertur post expeditam præsentationem, gratanter à patrono vel ejus cancellaria recipiatur, conformiter *c. 30. in fin. h. t.* Quo titulo parochi recipiant redditus stolæ, dixi suprâ.

27. Q. III. An res spirituales connexivè sint materia simonia?

R. 1.º Calices consecrati, paramenta sacra, loca auctoritate Ecclesiastica deputata ad cultum divinum, ut Ecclesiæ, cœmeteria et alia hujusmodi, ut accipiuntur adæquatè cum sua benedictione et ordine ad finem supernaturalem, sunt materia simoniæ: ita com. Nam res istæ hoc modo acceptæ sunt omninò sacræ et nullo temporali pretio adæquabiles.

2.º Calices et aliæ res sacræ habentes materiam pretio æstimabilem, secundum illam vendi possunt absque ulla simonia: ita com. cum S. D. 2. 2. q. 100. a. 1. 2. et 3. contra Abbatem et quosdam veteres negantes vasa sacra vendi posse, nisi prius per confractionem exercentur. *Prob. ex Can. 2. ea 10. q. 3. ibi: Vel distrahantur integra, vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel conflata cuilibet alii vendantur, et Can. 70. aurum 12. q. 2.*, ubi pro necessitatibus pauperum permittitur vasa sacra divendi. Ratio est, quia res sacræ per consecrationem et ordinationem ad cultum divinum, non amiserunt suum valorem naturalem; ergò secundum materiam vendi possunt: integræ quidem pro alia Ecclesia; confractæ verò, si ad usum profanum adhiberi debeant. ut insinuant *citt. jura et l. 21. cum aulh. præterea C. de sacr. Eccl.* Ab hac resolutione excipiunt quidam Ecclesiam et cœmeterium; quia hæc duo non solent esse in commercio humano: nihilominus probabile est, quòd proprietates materialis Ecclesiæ et sepulchri propriis vel majorum sumptibus ædificati per venditionem transferri possint in aliam, cum consecratio vel deputatio ad finem spiritualem non tollat materialem valorem loci, ædificii et sumptuum in eo impensorum; quamvis sine necessitate et debitis solemnitatibus venditiones tales non sint faciendæ.

Obj. I. Ecclesiam non posse vendi probat *Can. 7. si quis 1. q. 3.*, et *cap. 15. hoc tit.*—*II.* Sepulchrum vendi prohibetur *Can. 12. cum seqq. 13. q. 2. cap. 9. 41. hoc tit. et cap. 13. de sepultur.*—*III.* Venditio olei benedicti et Chrismatis dicitur simoniaca *Can. 105. dictum 1. q. 2. et cap. 8. hoc tit.*—*IV.* Sacra vassa posse vendi, sed non nisi execrata, docet S. D. *loc. cit. ad 2.*—*V.* Licet præbenda, ut est jus exigendi fructus temporales, sit pretio æstimabilis, tamen, quamdiu est annexa juri et officio spirituali, citra simoniam vendi non potest (*cit. Can. 7. si quis 1. quæst. 3.*); ergò à pari.

R. *Ad I.* In *cit. Can. 7.* sermo est de Ecclesia, non materiali, sed obtenta in titulum, seu de beneficio, ut patet ex verbis: *Nullus igitur remat, Ecclesiam aut præbendam etc.* In *cap. 15. hoc tit.* agitur de Ecclesia non locanda et non vendenda sine consensu capituli.—*Ad II.* Citata jura procedunt de cœmeterio communi, in quo fideles gratis sepeliri debent, licet ex aliis titulis aliquid accipi possit, v. g. pro conservatione illius, pro loco digniori, pro sustentatione ministrorum, etc. At si est sepulchrum proprium, secundum materiam suam vendi potest: quo casu jus sepulturæ accessoriè transferetur in emptorem. Sic etiam, servatis servandis, Ecclesia fundum cœmeterii cedere potest, v. g. Regularibus pro alio fundo commodiori ad sepeliendos fideles.—*Ad III.* Oleum et

Chrisma prohibentur vendi, quia, cum materia sit exigui pretii, benedictio potius, quam materia censeretur vendi.—*Ad IV. S. D.* loquitur pro casu, quo vasa sacra vendenda sunt ad usum profanum *pro necessitate Ecclesiae et pauperum*; et tunc omnino confringenda sunt.—*Ad V. N. C.* Nam prae-benda, ut quid accessorium, auctoritate papali annectitur officio spirituali ut principali, ejusque conditionem sequitur, ut nisi per Papam separaretur ab officio spirituali, citra simoniam vendi non possit; e contra materia calicis et similium rerum, est quid principale, cui consecratio vel benedictio accessorie supervenit; et consequenter materia vendi potest, quam accessorie sequetur benedictio, sicut venditionem castri accessorie sequitur jus patronatus ei annexum.

3.º Jus patronatus seorsim et per se vendi non potest citra simoniam juris naturalis: ita com. contra Sot., Sylv., Navar. docentes esse simoniam juris Ecclesiastici. Nam jus patronatus, vel est spirituale formaliter, vel saltem connexive antecederet, quatenus ordinatur ad collationem officii spiritualis, neque per se aliquam materiam habet pretio aestimabilem; ergo si vendatur, venditur quid spirituale, et hoc irreverenter tractatur seu violatur, in quo consistit simonia juris naturalis.

Dices: I. Jus patronatus est inventum Ecclesiae, et sequitur naturam patrimonii profani, transeundo ad haeredes et emptores.—II. Ex jure patronatus non fluit actio spiritualis, neque praesentato tribuit aliquod jus spirituale.

R. Ad I. D. A. Est inventum sacrum, sicut novitiatus, prima tonsura etc., *C. A.* Profanum, *N. A.* Quod jus patronatus transmitatur ad haeredes, et emptores loci, cui simile jus est annexum, id oritur ex generali privilegio juris habilitantis laicos ad possedendum hoc jus spirituale.—*Ad II.* Praesentatio est actio spiritualis connexive et tribuit jus saltem remotum, ut praesentatus, si idoneus est, necessario institui debeat.

4.º Praebenda seu beneficium, ut est jus percipiendi fructus temporales, non potest vendi citra simoniam juris naturalis: ita Abb., Covar., Gonz., Schmier., Schmalz. contra Gloss. *cap. 12. de Off. Deleg. v. dimittere*, Nav., Clar., Zoes et alios, volentes esse simoniam tantum juris Ecclesiastici. *Prob. ex Canonibus causae 1. q. 3.*, ubi clare colligitur simoniam istam esse juris naturalis. Nam *Can. 8. ibid.* Urbanus II. eam damnat his verbis: *pecunia tua tecum sit in perditionem, eo Actor. 8. v. 19.*; item *seq. Can. 9.* venditores praebendarum tanquam nummularii comparantur venditoribus columbarum, qui *sacram manus impositionem vendere conantur*; et infra dicuntur esse *divinorum praeceptorum immemores*; et *Can. 14. ibid.* Paschalis II. ait: *Altare et decimas per pecuniam dare, et Spiritum Sanctum vendere, simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat*, ubi nomine altaris venit praebenda ex doctrina *Can. 4. ibid.*; imò, si decimas vendere est simoniaca haeresis, multo magis vendere praebendam erit haeresis simoniaca. Huc faciunt pluri-

mi textus, *cap. 6. et fin. de pact., cap. 4. 7. de transact., cap. 15. 34. hoc tit.*, ex quibus sanè plus colligitur, quam simonia juris Ecclesiastici. Ratio est, quia simonia juris naturalis, est violatio rei sacrae per venditionem; sed praebenda, quatenus auctoritate papali annexa juri seu officio spirituali, est res sacra, saltem connexive, et tanquam accessorium sequitur naturam officii spiritualis; ergo si vendatur, violatur res sacra, et consequenter fit simonia juris naturalis. Unde *Can. 7. si quis 1. q. 3.* de tali venditione dicitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Idem dic de capellanis, commendis, pensionibus auctoritate Episcopi constitutis et officio spirituali annexis. Si tamen à principali Rectore pensiones annuatim sint solvendae pensionario, ad munus spirituale obligato, probabile est, eas redimi posse per anticipatam solutionem, cum hic detur temporale pro temporali, seu pro immunitate à solvendis annuis pensionibus, licet tutius sit, ut redemptio ista fiat cum licentia Papae.

Dices: I. Papa vendere potest praebendam sine simonia; ergo haec non est juris naturalis.—II. Creatio et annexio praebendarum facta est jure Can.; ergo venditio illarum est tantum contra jus Can.—III. Sic se habet praebenda ad officium spirituale, sicut villa vel castrum ad jus patronatus; nam utrobique unum est annexum alteri; sed vendi potest villa sine simonia juris naturalis; ergo et praebenda.

R. Ad I. Si Papa jus praebendae separaret ab officio spirituali, jus istud, utpotè merè temporale, vendi potest absque ulla simonia: nullus autem Papa inferior haec duo jura separare potest.—*Ad II. C. A.* saltem quoad formam et determinationem, et *N. C.* Nam supposita institutione et annexione praebendae, venditio illius contrariatur juri naturali, sicut supposita institutione novitiatus vel primae tonsurae, jam venditio similium juri naturali est adversa.—*Ad III.* Est disparitas; nam villa est quid principale, cui accessorie unitur jus patronatus et consequenter manet venalis: e contra praebenda est quid accessorium officii, ejusque naturam sequitur; ergo sicut officium vendi nequit, ita nec praebenda, ut supra dixi.

Ex his facile resolves particulares quaestiones de aliis rebus et actionibus spiritualibus, de quibus consule Laym. *l. 4. tr. 10. c. fin. §. 4.* et 5., et praeceteris *S. D. 2. 2. q. 100. a. 2. 3. 4.*

§. III.

De pretio simoniaco.

28. *Nota*, munus hic non accipi pro dono liberali, sed pro aliquo ex justitia commutativa debito; qualiter etiam onera ex justitia debita dicuntur *munera* tit. ff. *de munerib.* Hoc sensu *munus* est triplex:—1.º *Munus à manu*, per quod intelligitur pecunia late sumpta pro omni re